















1770.

Muhrbeck, Joh. Christoph: De gemina obligationis  
ratione vindictis defensionis Leuitico-Walfranei  
simul sistens.

1771.

1. Aminga, Carol. Siegf. Obsh., de: An moratorium etiam  
creditors extraneos prosit? <sup>ad Disputationem inaugur.</sup>
2. Breitsprecher, Franc. Phil.: De investitura simul,  
sanea eaque prima, quem Carol. Siegf. Obsh. de  
Aminga . . . ventilabit, innotat, insimulque:  
et et quatenus fides jure praesertim Pomeranico  
simultanea investitura intra feudi patri delata  
necessaria atque utilis esse queat? Disquisit.
3. Breitsprecher, Franc. Phil.: De investitura simultanea  
eaque prima.
4. Muhrbeck, Joh. Christophorus: De juribus neutralium

1772

+

Verhe!



1772.

1. Becker, Hermannus: Ad Disputationem Snam: de  
proxenetis et proxeneticiis, quam . . . Johann Gall-  
hub Taddel . . . pro in utroque jure honoribus . . .  
rehabilit. . . invitat simulque: Si denominatione  
proxenetici ab Alpius toto in l. ult. D. de proxenet.  
adhibita ejusque sensu<sup>2</sup> sententiam exponit.
2. Becker, Hermannus: Sacrorum Pentecostationum  
primae ac devotae celebrationem . . . praemissa  
brevis prolatione academica de jejuniis pentecostali  
ejusque origine a viribus academicis . . . commentat.
3. Beckerus, Hermannus: de proxenetis et proxeneticiis

1773.

1. Heminga, Carl Siegf. Wrb: An heres debet aus beneficiis  
inventariis uti possit?



2. Brestsprecher, Franc. Phil: ad dissertationem graduatam,  
De statutorum proprie legis obligandi principis  
eorumque authentica interpretatione, quem Georgius  
Friedericus Schlegel. -- pro . . . summis in utroque  
jure . . . honoribus . . . defendet, iuvat  
simulque: De jure statuendi academicae Professoriae  
competentiae " pauca disserit."

3. Brestsprecher, Franc. Phil: De statutorum proprie  
legis obligandi principis eorumque authentica  
interpretatione

1777.

1. Ahlwardt, Petrus: De jure revolutionis Americanorum.  
2. Schlicht Krull, Chr. Nic.: ad Jacob - Christophori Bues-  
lachi. . . dissertationem inaug: De praedictis honoribus  
pro summis in jure honoribus . . . capendis . . .  
dependentiam . . . iuvat simulque: De obligatione feo-  
dalis terrarum solvendi, quae contraxerunt debita " disserit."



3. Schlichtkrull, Chr. Nic. : De praedictis testibus  
par I continens historiam et successionem.

4. Schlichtkrull, Christ. Nic. Fac. jurid. pro-Deamus :  
ad Davidis Wilhelmi Wunckers . . . Disputationem  
inang., quae sistit quaestionem : an actio pignora-  
ritiae directa contra lesionem possessionem institui  
queat ? . . . iuritas simulque 1<sup>o</sup> 3 leg. mix. Ca-  
eliam et chirographariam pecuniam etc. Com-  
mentatur.

5. Schlichtkrull, Chr. Nic. : An actio pignoratitia  
directa contra lesionem possessionem institui queat  
1788.

Schlichtkrull, Chr. Nic. : De matrimonio illustri  
cum nobili: avita

1793. Hulken, Anton : De acquisitionibus redivis  
alsquod aequales habentibus.



1796.

Hallén, Anders: De aequationibus radicibus aliquot  
aequales habentibus.

1797.

Hallén, Anders: De aequationibus radicibus aliquot  
aequales habentibus.

1. ...  
2. ...  
3. ...  
4. ...  
5. ...  
1788  
...





DISERTATIO MORALIS

DE VERITATE

DEFINITIONIS VINDICIAS

DEFINITIONIS

LEIBNITIO WOLPHANAE

SMULSTETEN

SUB PRÆSIDI

JOHANNIS CAMPERSII

MILIO AN CHRISTOPH. MURIBECK

MDCCCLXXII

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE


PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

UNIVERSITÄT  
SACHSEN-ANHALT  
MAGDEBURG







DISSERTATIO MORALIS  
DE  
GENUINA  
OBLIGATIONIS NOTIONE  
VINDICIAS  
DEFINITIONIS LEIBNITIO-WOLFIANÆ  
SIMUL SISTENS

QUAM  
SUFFRAGANTE AMPLISS. PHILOSOPH. ORDINE  
IN REGIA ACADEMIA GRYPHICA  
AD D. 2 APRIL. A. O. R. MDCCLXX.

SUB PRÆSIDIO  
VIRI AMPLISSIMI  
M. IOAN. CHRISTOPH. MUHRBEK  
PHILOS. PRACT. PROF. PUBL. REG. ET ORDIN.

PRO  
SUMMIS IN PHILOSOPHIA OBTINENDIS  
HONORIBUS

PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBJICIT  
LAURENTIUS EVERS  
CAROLICORONA SUECUS  
IN AUDITORIO MAJORI  
H. A. M. S.

GRYPHISWALDIÆ  
LITTERIS A. F. RÖSE  
REG. ACAD. TYPOGR.





DISSERTATIO MORALIS

DE

GENUINA

OBLIGATIONIS NOTIONE

VINDICIAS

DEFINITIONIS LIBERTIO-WOLFFIANÆ

STATUS SISTENS

QUAM

SUBTAGANTE APTISS. PHILOSOPH. ORDINE

IN REGIA ACADEMIA GOTTICA

AD D. 2 APRIL. A. O. R. MDCCCLXX.

SUB PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI

M. LOV. CHRISTOPH. MÜLLERÆ

THEOL. DOCT. PUBL. ET ORDIN.

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA OBTINENDIS

HONORIBUS

IN ACADEMIA GOTTICA

HAUD INVENIENS APTISS.

THEOL. DOCT. PUBL. ET ORDIN.

IN ACADEMIA GOTTICA

A. O. R.

GEORGIUS WÄLDER

LITTE. DOCT. PUBL. ET ORDIN.

IN ACADEMIA GOTTICA







§. I.  
**E**xplicarunt viri illustres LEIBNITIUS & WOLFIUS obligationem moralem per *nexum motivorum cum actionibus*. Quæ definitio sagacioribus valde arrisit; nec defuerunt tamen, nec nostro etiam tempore defunt viri, quos summopere offendit. Offendit autem, ni fallimur, vel quia veram definitionis indolem haud intelligunt; vel forsitan, quia ad generaliora, & concretas, quibus solum adsuæfacti sunt, ideæ transcendentia, parum attenti, præjudiciis laborant. Varia quidem finxerunt dubia BARBEYRACIUS (a) & TREUERUS (b), tam ex omissione ideæ *superioris* in hac definitione; quam ex eo, quod inde omne inter obligationem & consilium discrimen auferri videatur. Quod autem ad *hoc* pertinet, vanum hic produnt metum; aliud enim procul dubio est, motiva & rationes moventes alicui detegere, h. e. *consilium dare*; & aliud, consuetaria ceu motiva cum actionibus liberis connectere; Et quod ad *illud* spectat, notetur, quod si vel concederetur, nullam dari obligationem sine superiore; tamen

(a) In notis ad edit. Gall. Juris Nat. & Gent. Pufendorffii.

(b) In Notis ad Pufend. de Off. hon. & civ.



❁   ❁   ❁

men inde non sequitur, ideam superioris huic intertextam esse debere definitioni, quæ, si accurata est, omnia non essentialia respuit criteria. Præter ea, ipse horum, quem defendere fatagunt, hæros, obligationem quandam, antequam concipi potest superior, dari, implicite concedere videtur. „Introducitur enim, inquit, (c) obligatio in animum hominis proprie, a superiore, i. e. tali, cui non solum vires sunt, malum aliud, quod representandi contrariantibus; sed &, cui *justæ* sunt, *causæ*, quare postulare queat, ex suo arbitrio voluntatis nostræ libertatem circumscribi.“ Si igitur ex ejus sententia justitia causæ, *ratione ordinis*, antea datur, quam superior ponitur, sequitur: quandam obligationem ex justitia causæ ortam dari. Qui hoc negat, neget etiam necesse est, hominem justis istis obligari causis, quas, qui superior esse vult, indicat; unde sequeretur, neminem, ne justissimis quidem causis devinci posse, imperantem & superiorem obsequio venerari; id quod absolum est. Sed hæc, alisque ejusdem commatis, superfedere nobis liceat dubiis; quippe quæ & levioris re vera sunt momenti, & dudum a Cel. CANZIO (d), DARJESIO (e), & DE VATTELIO (f), refutata. Restant autem alia, quibus contra hanc definitionem insurrexerunt viri quidam & ingenio & eruditione nostro tempore clari; quos tamen honoris causa non adpellamus. Novis apparent armati argumentis, quibus nixi, genuinam definitionis Leibnitio-Wolfianæ sensum evertere, joco exponere & penitus rejicere student. His occurrere, quia eis, quantum nobis quidem constat, hucusque obviam ivit nemo, nobis est animus, verum infimul definitionis sensum monstraturi.

§. 2.

Omnes, etiam adversarii Leibn. Wolfianæ definitionis, in eo conveniunt, & rotunde concedunt, quod obligatio moral. quam involvat necessitas. Et uti necessitas in genere impossibilitas

(c) Pufend. de Offic. H. & C. L. 1. C. 2.

(d) Discipl. Moral.

(e) Discours über sein Natur- und Völkcr-Recht.

(f) in Tract. Loisir philosophique.



bilitas oppositi est: ita necessitas moralis impossibilitatem *morum*  
 oppositorum implicat. *Impossibile* autem, vel est interne, vel ex-  
 terne tale, h. e. repugnantia idearum latet, vel in ipsis notio-  
 nibus rei partialibus; vel una extra eas in rebus aliis, quæ rei,  
 quo minus existere possit, obstant. *Hæc res alia*, extra rei no-  
 tiones partiales nempe, vel sunt extra agentem simul, vel non.  
 Itaque *externum impossibile*, aut est *illud*, cui, quominus existat,  
 refragatur defectus virium agentis sufficientium respectu obsta-  
 culorum extra eum; aut *illud*, cujus quidem existentia ob in-  
 sufficientiam virium agentis in se spectati, & ratione impedi-  
 mentorum extra eum, non est impossibile; attamen propter  
 obstacula in ipso, h. e. propter cognitionem boni cujusdam,  
 l. veri, l. imaginarii; vel obstante representatione mali appa-  
 rentis l. veri, in subjecto intelligente poni non potest. *Præ-*  
*impossibilitas externa metaphysica* vocetur; *posterius* autem, cum  
 res quædam unice propter cognitionem, qua subjectum agens  
 in præsentia de hac re gaudet, vel sub conditione evitandi mali  
 l. adquirendi boni, existens fieri nequit, impossibilitas *moralis*,  
*vulgo* nominatur. Atque hæc impossibilitas oppositi, quæ tan-  
 tum ex representatione moralitatis actionis cujusdam, sive re-  
 præsentatio illa vera, sive falsa & erronea sit, oritur, *necessitas*  
*moralis* est. Hinc necessitas moralis, *morum* oppositorum im-  
 possibilitatem & *internam* excludit, & *metaphysicam*; Ergo idem  
 in eodem vel diverso subjecto pro mutata l. diversa cognitio-  
 ne boni l. mali, moraliter possibile & impossibile; moraliter  
 necessarium & contingens esse potest. Unde sequitur, quod  
 unum idemque subjectum, si nimirum *obligatio* involveret ne-  
 cessitatem *moralem in genere*, respectu ejusdem objecti seu li-  
 bere actionis, obligatum & non obligatum esse possit, nulla-  
 que daretur obligatio universalis, h. e. nullæ darentur actiones  
 morales, ad quas omnes & singulos obligatos esse, dici posset;  
 quin, quod ad inhonesta & iniqua non minus, quam ad justa  
 & æqua quædam esset obligatio. Magis igitur restringenda  
 est necessitas moralis, nisi nubem pro Junone, *spuriam* pro ve-  
 ra obligatione amplecti, & continua termini confusione labo-  
 rare velimus.



§. 3.

Itaque non immerito distinguimus inter moraliter impossibile *eticum* & *juris*, f. *sapientis*; magna enim nobis videtur differentia inter impossibilitatem oppositi, quæ ex affectu vehementiori, ex prædominio appetitus cujusdam sensitivi & consuetudine quadam perversa, provenit, (h. e. affectus, consuetudo, & confusa quædam repræsentatio, quæ non raro bonum pro malo, & malum pro bono habet, sæpe obstant, quominus quis vires, quas habet sufficientes, applicet, & hinc oppositum actionis impossibile reddat,) magna inquam, est differentia inter hanc, quam moralem impossibilitatem ethicam quidam vocant; & illam, quæ ex impedimentis oritur, quæ leges & certa cognitio ac distincta repræsentatio boni & mali cum actione connexi, efficiunt, ita, ut oppositum actionis sapienti, vel civi honesto impossibile evadat, (h. e. cognitio illa certa & distincta, vel etiam merum obsequium erga leges, seu verum & sibi bonum spectatum, impedit, quominus vires suas sufficientes, quas, nullo NB. respectu ad hanc cognitionem rationesve moventes habito, seu quas in *sensu diviso* sapiens & civis honestus ad oppositum actuandum habet, applicet, & hinc mores oppositos impossibiles reddat), quam impossibilitatem moralem *juris* & *sapientis* appellare nobis liceat. Nisi igitur quis inepte statuere velit, scortatorem, furem, latronem & f. p. ad mores tam pravos *obligatos* fuisse, & tanto termini non erubescere abusu: fateatur, necesse est, necessitatem, quam involvit obligatio, etiam moralem impossibilitatem oppositi *eticam* excludere. Et hinc, dum affirmamus, obligationem implicare necessitatem: intelligimus moralem oppositæ actionis impossibilitatem *juris*, f. *sapientis*, tantum.

§. 4.

Naturæ animæ humanæ intime annexa & implicata est perpetua & invincibilis propensio in omne, quod *nobis* bonum videtur; & vi hujus instinctus naturalis etiam omnia *nobis* ut mala obversantia averfamur. Neque umquam aliquid vim nostrum appetitivam movet, nisi quod nobis ut bonum l. malum obve-



obvenit (p. Princ. Pſych. experientia inſall. ſtabilitum). En ratio, cur cognitio legum & repræſentatio boni l. mali oppoſitum morum impoſſibile reddere poſſit? Nec non, cur affectus, inclinationes pravæ ſenſim adſcitæ, & motiva omnis generis (cfr. §. 6.) neceſſitatem efficere valeant? Sed uti non omne bonum, & cujuſcunq; generis ſit, nobis eſt appetibile, ita neque ex cognitione boni & mali cujuſdam in genere, naſcitur hæc neceſſitas; bonum enim *abſolute* ſpectatum & nullo modo *ſui communicativum*, h. e. quod quidem perfectionibus ceu partialibus, ad ſui perfectionem ceu totalem conferentibus gaudet, non autem aliquid ad perfectionem alterius confert; non appetitur (p. L. Pſych. & exper.) (g). Ergo præſupponit obligatio, quatenus ſemper neceſſitatem quamdam involvit, cognitionem & repræſentationem bonorum ſui communicativorum. (h. e. bona l. mala, quorum reſpectu oppoſitum actionis liberæ impoſſibile evadit, erunt nobis bona l. mala, ſeu ad noſmet ipſos referentur, ſi quando ex eorum repræſentatione obligatio orietur.).

§. 5.

Si quis finem quemdam obtinere cupit, cum ut bonum quoddam ſibi repræſentat (§. præc.); actiones igitur hunc finem promoventes, etiam cupit, omnesque ei diſconvenientes averſatur. Hinc multarum, alias liberarum actionum, oppoſitum impoſſibile reddi poteſt. Et quoniam finis alterius, alteri conveniens eſſe poteſt; ſeu ſcopus, quem alter intendit, ab altero etiam cupi & promoveri poteſt, quia utrique *bonum* eſt: haud raro evenit, ut aliorum fines in noſtras actiones neceſſitatem quamdam inſinuent. Attamen, quia bona, quæ nullo modo referuntur ad noſmet ipſos, neque appetitum, neque neceſſitatem, adeoque nec obligationem nobis adferre poſſunt (§. præc.): ſequitur, nullam unquam neceſſitatem, nullam obligationem ex fine alterius enaſci poſſe, niſi alter hunc finem ſimul ut *ſuum finem*, ſeu ut aliquid *ſibi ipſi bonum*, cogitet; vel etiam, niſi alter perſpiciat, ſibi malum

A 3

quod-

(g) cfr. Diſſ. Dai Præſidis de amore puro menti humanæ inimico, §. 9. ſqq.



quoddam eventurum, si alterius fini, voluntati, vel legi convenienter non agat. Hinc pretium obligationis *in sensu strictiori*, quam obligationi prudentiæ opponunt inimici Leibnitio-Wolfianæ definitionis, dijudicari potest. Finis, inquiunt, propositus, ex quo, vi relationis ad eundem actionis, necessitas oritur, vel potest esse finis subjecti cujusdam determinati *proprius*, & ut talis considerari; vel hic finis cujusdam entis alius ratione præditi, a quo alterum subjectum dependet, & quod ideo Ens, *superior* nominetur, esse potest; quemque finem non ut suum, sed ut superioris finem propter dependentiam promovere studebit. Necessitas actionum nostrarum, quæ ex hoc fine, seu voluntate superioris oritur, vi cujus, propter dependentiam nostram, *sine omni respectu ad proprium finem, commodumve vel damnum nostrum*, ad certas actiones determinamur, est obligatio moralis *strictius sic dicta*. Ejusmodi obligationem neque dari, neque ab ullo, qui naturam mentis humanæ ejusque modum agendi paullo attentius consideraverit, statui, ex modo monstratis liquet (conf. §. 15.).

## §. 6.

Nullum ens morale est sine ratione sufficiente; Ergo omnes actiones liberæ etiam suam agnoscunt sufficientem rationem, cur potius sint, quam non sint (p. L. Metaph. Moral.) (h). Ratio autem unde intelligitur, cur libere agens hoc vel illud velit, vel cur hæc potius quam illa actio existat, dicitur generaliter *motivum*. Ergo nulla actio libera sine præcedente motivo existit. Ergo positis motivis actioni producendæ sufficientibus & completis hæc & non alia actio determinate poni potest; oppositum hujus actionis evadit impossibile, & necessitas quædam *in sensu composito* adest. At enim vero, cum non solum distinctæ, confusæ & obscuræ boni l. mali representationes; sed consuetudines etiam tacitæ, ipsis ab agentibus vix agnitæ, inclinationes temperamentorum & clandestinæ propensiones, *hoc modo* voluntatem vel noluntatem *moveant*; constat, hæc motiva a se invicem tam diversa, diversam quoque

(h) Conf. Diss. Dom. Præsidis de Princ. Rat. suff. in moral.



quoque progignere necessitatem; alia igitur impossibilitatem oppositi *ethicam*, alia necessitatem *juris & sapientis* procreant (§. 3.). Iccirco, quia necessitas, quam obligatio involvit, *ethicæ* necessitati refragatur (*ibid.*), adeoque impossibilitatem oppositi, quæ ex representationibus boni & mali confusis l. obscuris, ex affectibus & pravis consuetudinibus &c. oritur, excludit: prono fluit alveo, non ex quibuslibet motivis enasci obligationem. Quapropter sollicite distinguendum inter motiva, quæ necessitatem tantum *ethicam* pariunt, & ea, quæ necessitatem *juris & sapientis* efficiunt. Illa merito a quibusdam stimuli vocantur; hæc autem, seu distinctæ representationes boni l. mali, proprie & sensu strictiori *motiva* dicuntur. Itaque si quis stimulis, non vero motivis strictè sic dictis commotus, quamdam suscipit actionem: ad hanc non obligatus, sed *stimulatus* dici potest. Obligatio igitur nullam aliam necessitatem, nisi termino abuti velimus (§. 3.), involvit, quam quæ ex motivis strictè sic dictis, seu certa & distincta cognitione nobis boni l. mali (§. 4.) oritur. Ideoque annuentes, obligationem semper involvere necessitatem quamdam: intelligimus neque *internam*, neque *externam metaphysicam* (§. 2.), neque *ethicam* (§. 3.); neque demum fictam illam, quam §. 5. confutavimus, necessitatem, ex fine scilicet, & nuda superioris voluntate orituram. Hinc, quænam unice intelligenda sit, plusquam in aprico est.

§. 7.

Uti nihil est sine rationato, nihil omnino sterile, otiosum & infœcundum (p. Princ. rationati): ita nec ulla suis sine consecrariis potest actio esse. Hæc consecraria, quatenus tam in statum nostrum physicum, quam moralem influunt, eumque l. perfectiorem l. deteriore reddunt: physicam, & partim moralem bonitatem l. pravitatem actionum efficiunt nostrarum. Ergo nulla datur actio, quæ non ut bona l. mala cogitari possit, pro conditione nimirum & qualitate consecratorum; unde omnis actio in se, & sine respectu ad consecraria, seu ut omnino sterilis & infœcunda spectata, *nobis* neque est bona,





bona, neque mala; Ergo representatio ejusmodi actionis, non est representatio nobis boni l. mali, adeoque numquam ratio sufficiens seu motivum, cur ipsa potius, quam ejus oppositum existat, esse potest (§. 4.). Ergo sola confectaria, quatenus representantur ceu finibus nostris convenientia, rationes determinantes nobis sistere possunt; & posita cognitione confectariorum sufficiente, impossibilitas actionis oppositi ponitur, necessitasque oritur (§. 6.). Atque hinc, cum representatio boni l. mali, seu ratio, cur altera actio præ altera existat, & cur quis in obvio casu sic & non aliter agat, motivum in genere dicatur (ibid.) jure meritoque confectaria actionum nomine *motivorum* insigniuntur. Ergo, *nectere motiva cum actionibus*, nihil aliud est; quam nectere confectaria cum actionibus. Qui igitur cum actione alterius confectaria non connectit, eam moraliter necessitatem reddere nequit, nec umquam alterum obligare potest; sublata enim necessitate morali actionis, tollitur obligatio, quatenus omnis obligatio necessitatem quamdam involvit (§. 2.). Ergo ille demum, qui cum actionibus nostris confectaria nectit, nos obligare potest.

## §. 8.

Bonitas l. pravitas actionum vera & *materialis* ex confectariis eorumque influxu in statum nostrum, determinatur (§. præc.). Hæc autem confectaria cognoscuntur a spiritu finito vel confuse & obscure, vel distincte. Quoniam vero confusa & obscura cognitio, falsum pro vero sapissime sistit: constat, representationem confusam confectariorum, facile sibi formare posse falsa confectaria & rationata, quæ vere ex actione non intelliguntur, nec cum illa connexa sunt. Ficta hæc motiva, necessitatem quidem ethicam, quando ut nobis bona l. mala, licet false, spectentur, gignunt; numquam autem obligationem (§. 6.). Ergo de confectariis distincte representatis tantum dici potest, quod obligent, nisi termino *obligationis* abuti, & *spuriam* cum vera confundere velimus (§§. 3. 6.). Ergo confectaria actionum distincte representata, nobisque ut bona l. mala spectata solummodo *motiva* in sensu strictiori ad hanc l. illam



actionem sunt (ibid.), unde vera & unice possibilis obligatio oritur (§§. 4. 5.). Hinc definitio Leibnitio-Wolfiana: *nexus motorum cum actionibus, eam indigat necessitatem, (obligationem loquimur passivam) quæ ex consuetudinibus naturaliter vel arbitrarie cum actionibus liberis connexis, distincteque & sufficienter ut nobis bona l. mala cognitis, in mente nostra oritur; nullamque aliam significare potest, nisi injuriam & absonum sensum fingere velimus.* Cum jam hæc sola necessitas ea sit, quam obligatio involvere potest; illaque, quam sibi quidam ex fine & voluntate superioris, sine motivis & sine respectu ad nostrum commodum vel damnum formant, nil, nisi fictum quid sit (§. 5.): quis umquam, nisi l. præjudicii misere laborans, vel distincta cognitione sensus genuini definitionis Leibnitio-Wolfianæ destitutus, eam rejicere jocoque exponere sustinebit?

§. 9.

Sic explicato, uti fas est, vero obligationis sensu, non ulterius difficilia erunt, omnia, quæ contra laudatam definitionem excogitarunt, dubia soluta.

*Obj. 1.* Falsum, immo falsissimum est omnia motiva, vel maxime determinata; ita, ut revera vi eorum actionem quamdam suscipiamus, nos *necessitare*, vel sensationem *necessitatis* cujusdam in nobis *excitare*. Cum in aggere e. g. deambulamus, ad hoc motiva habuimus; quis vero affirmat ad hanc ambulationem nos obligatos l. necessitados fuisse? Anne umquam, vel in rebus maxime indifferentibus, sine motivis agit homo sanus? Quis autem, nisi ipsi sensui communi contradicere velit, dicit, se eam ob causam semper moraliter necessitatum & obligatum agere? Qui quidem voluntati humanæ omnem denegat libertatem, eamque non aliter ac machinam, quam bona & mala arbitrarie definita movent, explicat: nullam certe hic videt difficultatem. Confitemur autem nos, quos sensatio convictos reddit, benignissimum Numen voluntatem nobis dedisse, quæ in facultate, ideis, seu exemplari suo, convenienter agendi, consistit; libertatemque, vi cujus, mediantibus hæc ideis, non ut machina per elateres ponderaque necessi-





cessitatur, habet, ab hac assertionem valde abhorre. Antea igitur ex motivis numquam morale sentimus necessitatem, quam hæc nexum necessarium actionum nostrarum cum fine quodam præfixo involvunt; id vero quod locum non semper invenit.

*Resp.* Vulgus, qui non distinguere novit inter necessitatem moralem, & reliquas species, e. g. absolutam, hypotheticam, internam, externam, physicam &c. (§§. 2. 3.); nec inter obligationem *perfectam* (germanice *Schuldigkeit*, quæ adest, cum alter *ius perfectum* vel ex lege quadam positiva, l. læsione, l. pacto e. f. p. habet), & *imperfectam*: semper fere, cum de necessitate l. obligatione sermo est, nil nisi de coactione quadam externa atque obligatione *perfecta*, cogitat. Quare, secundum vulgi sensum, valde foret absona assertio: illum, qui tamen pro lubitu ambulat, vel alias parvi momenti suscipit actiones, ad hæc necessitatum l. obligatum esse. Eruditum vero, qui indolem necessitatis moralis ac vim motivorum determinate respectu cujuscunque actionis positorum novit: & ambulantem, & vel levissimam suscipientem actionem, *moraliter* esse necessitatum (§§. 3. 4.), atque *imperfecte* obligatum (§. 8.); assentire haud pudet; nisi forte ambulans &c. mente sit captus, quo in casu de eo neque necessitas moralis, neque obligatio prædicari potest. Eruditus igitur statuendo, hisce in casibus necessitatem *moralem* & *imperfectam* obligationem adesse: nullum imponit animæ mechanismum; Spiritus enim in suis destinationibus, motiva & rationes logico-ethicas sequendo, libertatem non labefactant l. amittunt; & tantum abest, ut hæc rationes præpollentes, hæc motiva pro una parte optionis, quam pro altera, validiora & digniora, quæ determinant & moraliter necessitant, libertati obstant, ut ejus potius abusum caveant. Namque mittere digniora motiva, quæ sapienti, qua tali, semper validiora sunt, & indigniora sequi, abusus libertatis esset, & sub conditione, digniora illa motiva distincte perspicere, plane impossibile est (§. 4.). Cum igitur tanto intervallo a se invicem differant rationes physico-mechanicæ, quas in suis motibus sequuntur corpora, mechanismumque ponunt; & motiva, quæ spiritus ad volendum l. nolendum determinat: mirandum sane est, quemquam ejusmodi formare dubium fuisse ausum. Quippe quem, quæso, sequens moveret argumentatio: Quia ea assertio,

tio,



tio, quod pro lubito in aggere ambulans & actiones levioris momenti suscipiens, moraliter necessitatus & obligatus dici possit, sensui vulgi, qui nullam fere necessitatem, nisi coactionem externam, nullamque obligationem, nisi perfectam, novit, aperte disconvenit: Ergo non omnia motiva, vel maxime sufficientia & determinata necessitatem quamdam excitant. E, docere, motiva mutationes voluntatis determinare: nihil aliud est, quam libertatem tollere & mechanismum introducere. E. ex iis tantum motivis, quæ nexum necessarium cum fine quodam præfixo involvunt, necessitas quædam moralis oriri potest. Quæ, qualis & quanta consequentia! Anne vero aliter comparatum est dubium modo solutum? At, ut ulterius vanitas dubii appareat, addere sequentia lubet: Conceditur, motiva necessitare, eo in casu, cum nexum necessarium actionis cum fine quodam præfixo involvunt. Jam, cum finis illud sit bonum, quod ens intelligens intendit, & cujus gratia agit: sequitur, motiva necessitare in omni casu, cum nexum necessarium actionis cum bono quodam, quod agens, intendit, & cujus gratia agit, involvunt. Sed in omnia bona, *sibi* ut bona visa, homo tendit (§. 4.). E. omnia bona, *illis* ut bona representata, seu fines hominum spectari possunt; E. quid quid de fine prædicatur, etiam de quolibet bono sui communicativo ad agentem relato, cum quo actio necessarium habet nexum (§. 4.), prædicari potest. Ergo &c.

§. 10.

*Obj. 2.* Non potest negari, nos etiam ad malum morale motiva sæpissime habere posse. Quis autem dicere sustinet, se ideo, quia non defuerunt motiva, ad hoc malum committendum obligatum fuisse? Nonne quemlibet puderet, obligationem ita explicare, ut quævis scelera nefanda inde tegi & defendi possint? Communis illa exceptio, *motiva tamen fortiora ad oppositum existisse*, hic nihil juvat. Hoc enim partim nihil proprie aliud significat, quam quod fortior quidem obligatio ad oppositum adfuerit; quædam tamen, licet debilior & minor, ad malum illud obligatio remaneat; partim negaret auctor sceleris se hæc motiva fortiora habuisse, & si, uti docent adver-



adversarii, motiva in malo physico tantum consistant: simul sæpe rigoroſe demonſtraret, fortiora non exiſtiſſe.

*Reſp.* Facta diſtinctione inter ſtimulos & motiva proprie & ſtriſte ſic dicta (§. 6.), & explicata eorum atque obligationis, uti ſas eſt, natura (§§. 6. 7. 8.): tantum, quantum eſt argumentum ruit. Non negamus ſclerato ſtimulos & neceſſitatem ethicam fuiſſe; iidem autem pernegamus fuiſſe eum obligatum, vel ex motivis, h. e. ex diſtincta repræſentatione confeſſariorum cum ſcelere reapeſſe connexorum egiſſe. Proditne igitur hoc dubium incredibile genuini ſenſus obligationis laudatæque definitionis ignorantiam? Eſtne explicatio tam ſiniſtra mentis tot tantorumque virorum valde injurioſa? Erga ſe ipſos tamen maxime inhumani videntur auctores hujus dubii, cum aperte & publice teſtentur, ſe, quamvis plures annos Wolfium aliis explicaverint, ipſos eum non intellexiſſe. Notari porro meretur eſſatum illud, quod nempe patroni definitionis Leibnitio-Wolſianæ naturam motivorum in bono physico tantum ponant, omni deſtitutum eſſe fundamento (cfr. §. 6.). Quamvis enim negent, & quidem omni jure, *bonum morale* illud ſolum eſſe, quod cum voluntate & fine ſuperioris conveniat; tamen aperte palamque diſcrimen boni phyſici & moraliſ docent, pariter atque ex utroque deſumi poſſe motiva. Arbitrarie deſinitiones adornare, & inde abſurda aliis imputare, cuique neſas eſſet.

#### §. II.

*Obj. 3.* Omni contradicit ſenſui communi, qui contendit: ex meris motivis, etiam cum in nobis neceſſitatem excitant, eam oriri neceſſitatem, quam ſanus quiſque, dum de obligatione ſermo eſt, cogitat. Quidquid ex coactione, ex metu, vel proprio commodo commoti ſuſcepimus, vi quidem motivorum sæpe nos neceſſitantium actum eſt; quis autem, nos in hiſce omnibus caſibus obligatos fuiſſe unquam dixeit? Dicimus, nos hoc egiſſe, cauſſas & rationes nobis fuiſſe, nec non, quod ita agere nobis neceſſarium factum eſſe. Et ſimili modo sæpe dicimus, id, quod egimus, nobis quidem utilitati fuiſſe, ſed ſimul ex obligatione factum; id quod manifeſte probat,

nos



nos in vita communi motiva & obligationem a se invicem distinguere.

*Resp.* Notavimus supra distinctionem inter obligationem perfectam & imperfectam. De illa in vita communi plerumque sermo est; hæc in vita communi parum intelligitur. Quæ igitur dudum (§. 9.) respondimus, etiam hic notentur, & dubium evanescet. In finem meminisse juvabit: *Loquimur cum vulgo, & sentimus cum eruditis.*

§. 12.

*Obj. 4.* Definitio obligationis, per nexum motivorum cum actionibus, omne tollit discrimen inter obligationem legalem, & obligationem politicam s. prudentiæ, & obligatio moralis in meram prudentiæ abit. Nulli quidem negamus, hanc & illam in casu quodam determinato materialiter convenire posse; attamen has species formaliter confundere, revera nihil aliud est, quam virtutem in meram politicam, vitium in imprudentiam, obligationem & obsequium erga superiorem in merum rei propriæ studium mutare & penitus convertere, quæ omnia ad refutandum, sufficit adduxisse.

*Resp.* Obligationem, quam hic intelligunt, *moralem & legalem*, purum putum figmentum esse, §§. 4 & 5. indicant. Spectra pertimescunt, cum formalem harum specierum metuunt confusionem. Obligatio, quæ ex legibus oritur, h. e. quæ motivis, quæ porrigunt leges, suas debet natales; & quævis alia vera & non spuria obligatio tam materialiter, quam formaliter, avicissime in genere conveniunt; atque hinc consequentiæ, quibus permisso hæc formalis ansam daret, admodum videntur vanæ. Præter ea autem a defendendo haud abhorremus, virtutem nil esse, nisi consummatissimam ac felicissimam Politicam; vitiumque stupiditatem esse & imprudentiam summo gradu demirandam; obsequium autem erga leges & superiorem, proprium commodum atque aliorum optimo modo ac felicissimo successu promovere, & versa vice: Quo majus est ordinatum propriæ rei studium; hoc majus quoque est erga leges & superiorem obsequium & obedientia &c.





## §. 13.

*Obj. 5.* Denique admissa hac obligationis idea, omnis obligatio intuta & vacillans evadit; si enim obligatio ex moti-  
vis solum oriatur, quæ in malo quodam physico cum actione  
connexo consistunt: haud invite sequitur, quod quilibet, qui  
malum actioni annexum, vel evitare vel ab actione separare  
potest, ab obligatione, hanc actionem omittendi, etiam libe-  
ratus sit, & hinc ipsam deleverit obligationem. Itaque, qui  
pœnam modo evitare, eamve ab actione separare potest, obli-  
gationem obsequii per se jam cadentem annihilare valet; &  
furi suffurandi jus est, cum se videt, furcam & funiculum ef-  
fugere posse.

*Resp.* Obligatio est l. *naturalis*, l. *arbitraria*, prouti consecta-  
ria cum actione connexa & distincte representata, vel ex natura seu  
essentia actionis fluunt; vel arbitrarie solum annexa sunt (§. 8.). *Il-  
la*, quatenus omnia essentialia inseparabilia sunt, adeoque motiva ejus  
commatis ab actione nunquam separari possunt, nec pœna umquam  
evitari. *Hæc* autem ab actione, vel *jure*, (h. e., e. g. vi exceptio-  
nis vel privilegii a superiore seu Principe collati) separari possunt, vel  
non. Si *illud*, nulla ulterius ex lege voluntaria ad hanc actionem est  
obligatio arbitraria. Si *hoc*: remanet obligatio & pœnam tandem se-  
quunturam, quæque tamen hoc l. alio modo sequi potest, re ipsa ab  
actione non separavit. Hinc igitur idea & notio obligationis non e-  
vadit anceps & vacillans; multoque minus sequitur, isto trium litte-  
rarum homini jus esse furandi, si quidem patibulum evitare poterit.  
Nonne pari jure argumentamur: ad omnem malam actionem jus ha-  
bemus, cum pœna externa effugi potest; Et quia ad augendas alio-  
rum opes perfecte & externe non sumus obligati, h. e. quia externe &  
civiliter eam ob causam non punimur, cum aliorum opes non auge-  
mus: E, NB. jus habemus ad aliorum opes deminuendas vel destru-  
endas. Porro: qui non ex omnibus *possibilibus* motivis actionem  
quamdam omittendam l. committendam determinantibus, commotus  
agit: jus habet ad actionem oppositam: Quia unicuique illud motivum,  
unica illa ratio, patibulum puta, furem a furto non detertere potuit:  
ergo ad furandum *jus habuit*? Quis ejusmodi conclusiones non de-  
miratur?

## §. 14.



## §. 14.

*Obj. 6.* Confundere haud fas est *physicam* actionis ex suis causis efficientibus *genesis*, cum obligatione. Cum dicitur, naturam nos per representationem boni & mali obligare, quatenus ejusmodi representatio nos ad hoc l. illud appetendum l. averſandum impellit: notandum est, quod hæc propositio mere fit *thematologica*, adeoque *psychologica*, & hinc tantummodo ad *genesis* *physicam* actionum voluntatis pertinet. Cum autem quaestio est de obligatione morali, non quaeritur, quomodo nascitur & existens redditur hæc l. illa actio? per se enim constat, omnes actiones tam bonas, quam malas suas habere causas sufficientes; sed nobis indicetur, velimus: cur actio omittenda l. committenda, vel cur prohibita l. permissa est? Hæc confusio latet in Definitione: Obligatio est nexus motivorum cum actionibus. Non enim constat, quid hic intelligatur; motivane, quorum ope actio nascatur, oriatur & existat, h. e. *genesis* *physica*? an illa motiva, cur suscipienda l. omittenda sit? Neque enim malæ actiones sine motivis patrantur, quæ, si non adfuissent, agentemque determinassent, actiones istæ non existissent.

*Resp.* Monstrat etiam celebris hujus dubii auctor, se neque definitionis, neque motivorum in sensu strictiori sumtorum, intellexisse indolem; unde primo, quæ supra dedimus, respondemus. Deinde concedimus quidem, magnam esse differentiam inter *genesis* *physicam* actionis, & id, quod faciat, ut alia sit suscipienda actio, alia omittenda. Unde autem sequatur, utrumque in laudata definitione rite intellecta confundi, haud videmus. Quis per nexum motivorum cum actionibus, nisi aliis absurda imputare studeat, solam *genesis* *physicam* actionum intelligit? Cur logicas regulas hermeneuticasque negligit, ad duplicem significatum *res nexus* & motivorum non attendens? Anne semper & ubique *nexus* technice sumitur, & hinc semper prædicatum, vi cuius aliquid alterius vel est ratio l. rationatum, vel utrumque, significat? Anne motiva semper in generalissimo sensu sumuntur (§. 6.)? Nonne absona foret sequens explicatio: Obligatio est prædicatum illud, vi cuius falsa & obscura, hominis representatio boni l. mali cujusdam, rationem sufficientem hujus l. illius



illius actionis in se continet? Pone autem significatum *res* nexus proprium; pone motiva in sensu rigorofo, & in quo patroni laudatæ definitionis motiva sumunt; explica secundum horum notiones tam volitiones, quam nolitiones mentis nostræ, distinctas tantum ideas postulantes; attende ad *moralitatem*, quam docuerunt, *objectivam*, c. l. p. Anne tum de sensu definitionis, ad hæc omnia, uti fas est, attendens, nullarumque studiosus partium. ulterius dubius esse poterit? (cfr. §. 8.) Tantum igitur abest, ut, ceu confusionem involvens atque obscura rejici possit; ut potius perfecta ac vera saluetur. Convenit naturæ mentis humanæ, quæ, si libera manebit, alio modo necessitari & obligari non potest. Convenit experientiæ omnium saniorum, licet non semper sermone vulgari conveniat. Ad quamcunque denique questionem, obligationis naturam spectantem, mediante hac definitione, distincte & sufficienter responderi potest ratioque reddi. Quæris e. g. qui fieri possit, ut alter alterum, salva hujus libertate, ad hanc l. illam actionem quasi ligare, & oppositum ejus impossibile reddere queat? Resp. Si quis necit cum alterius actionibus suscipiendis consecraria, quæ alterum l. perfectiorem l. imperfectiorem, feliciorem l. infeliciorem reddant, & alter, vi suæ naturæ, semper in id, quod ei videtur bonum, nisi quodam fertur atque appetit: hoc fieri potest. En fundamentum possibilitatis omnis obligationis; & quivis alius modus, posita nempe ea, quam vera experientia indicat, mentis indole, impossibilis est. Sed objicitur

## §. 15.

7mo. Nonne alio modo ens intelligens & liberum ad aliam, præ alia, actionem obligari potest? Ponamus spiritum, ab alio dependentem; nonne ille, quantumvis liber, propter *dependentiam* suam, omni respectu obligatus esset, hujus ad voluntatem omnes componendi suas actiones, licet cum hisce actionibus nulla connexa essent consecraria, nulla bona, mala?

Resp. Quærentem intelligere *dependentiam* aut in sensu metaphysico, aut morali, sumtam. Si de *illa* sermo est, omnem abesse nexum consequentiæ; per se patet. Eius enim dependet ab altero, cum alterum hujus in se continet rationem. Si hoc dependens libera est substantia, variæ ei possibiles sunt actiones, quæ ejus libitu atque

arbi.



arbitrio, adeoque non ejus dependentia mere determinantur; ante igitur quam ita formatus est lubitus, seu cognitio, qua hæc pollet substantia, ex qua secundum ejus leges appetitionis & averfationis intelligi potest, cur sic & non aliter circa actionem liberam ratione executionis se determinat, et oppositum actionis impossibile reddatur; antea, inquam, quam hoc factum est: ens dependens liberum non magis alteri, quam alteri alligari potest actioni. Ergo determinata quædam cognitio præcedit, quæ l. ex objectis aliisque circumstantiis, l. novo & immediato influxu Entis, a quo alterum dependet, oritur. In utroque autem casu aliunde hoc pendet, quam ex mera unius substantiæ ab altera dependentia. E. &c. Sin autem *hanc*, seu *dependentiam moralem* putas, & per eam ejusmodi relationem unius entis intelligentis ad alterum, vi cuius illud, ab hujus voluntate certa quædam bona habet, & quidem ita, ut sublata hac voluntate, omnia hæc bona tollantur: miramur consequentiam, quam nostræ thesi esse no-civam credis. Nihil magis invite ex hac dependentia sequitur, quam opinio ista, dari, nempe, obligationem sine motivis. Ex hypothesi enim substantia illa dependens libera est; E. ad actiones has l. illas in se spectatas, non minus, quam ad earum oppositum se determinare potest. Cum igitur ad alteram præ altera, quasi alligabitur; & cum oppositum hujus l. illius actionis impossibile reddetur: aliquid, procul dubio erit ejusmodi impossibilitatis ratio. Voluntatem alterius vi dependentiæ moralis, dicis esse rationem. Sed recurrit quæstio: cur obligat hæc voluntas? Anne influit altera substantia immediate & physice in alteram, & eo modo illud efficit; vel mediate & moraliter hunc producit effectum? Non autem *illud*, quippe quod evertit hypothesin; E. *hoc* ponendum. Itaque *mediate* & moraliter tantum obligat hæc dependentia. E. requiritur aliquid magis, quam *mera* alterius voluntas, ante quam substantia ista, magis ad alteram, quam ad alteram alligari potest actionem. Mentionem autem NB. ipse in definitione dependentiæ moralis fecisti bonorum quorundam, quæ tolluntur amittunturque, sublata voluntate alterius substantiæ, a quo altera dependet. Nonne hæc bona, ceu ita comparata, spectari debent, ut amittantur, si alter voluntati alterius inconvenienter agat; & conlerventur, si suas ad nutum ejus componat actiones? Pone enim contrarium, & fatearis, necesse est, hisce bonis gaudere & perfrui alterum,





rum, sive sic, sive aliter, sive contra alterius voluntatem agat, sive non; id quod indifferentiam hoc respectu ad alterius actiones infert, qua posita, alter non magis ad hanc, quam illam, vi NB. *voluntatis alterius* adstringitur seu obligatur; alter enim hoc, respectu nihil vult. Unde tot tantaque absurda suoapte fluunt, ut vel unicum hic appellare superfluum esset. Quæ cum ita sint, nonne hæc bona actionibus voluntati alterius convenientibus annexa sunt? Nonne igitur ut consecraria & motiva, cur alia præ alia suscipiatur actio respici possunt? E. posita ejusmodi dependentia morali, obligatio sine motivis non sequitur.

Instando autem forsan regeris: Cuilibet innatus est instinctus & stimulus conscientia, vi cujus obligationem nostram agnoscimus & obsequium erga eum, a quo dependimus, sine aliis motivis, & sine respectu ad nostrum commodum vel damnum, impellimur; hancque instinctum actu existere facile probatur; „Nam, NB. qui potis est fieri, ut representatio dependentia in & per se spectata ad iussa & mandata superioris exsequenda nos impellere possit, nisi in nobis instinctus quidam naturalis, ad dependentia nostræ a superiore convenienter agendum, existeret?“ Cum igitur ejusmodi instinctus datur: sequitur, obligationem sine motivis dari. At respondemus: apertus primo committitur in demonstrando circulus. Datur, nempe, obligatio sine motivis, quia datur obligatio ex mera dependentia; hæc autem esse potest, quia existit instinctus ille naturalis: hic vero existit, quia alias representatio dependentia nihil efficeret &c. Deinde, si ponimus, ejusmodi instinctum esse probatum, & non fictum (i); tamen, quod petis non sequitur. Infigaret enim 1mo, hic stimulus ad obsequium tantum in genere, adeoque, cum ad aliquod particulare constituendum alia adhuc desiderantur determinationes, præter eas, quas cum aliis habet communes (p. L. Met.): simul requirerentur alia determinationes, unde intelligi posset, hanc l. illam actionem in specie voluntati superioris esse conformem. Atque hæc determinationes, sumtæ l. ex qualitate naturali actionum, l. ex mandatis & legibus, procal dubio nihil aliud sunt, quam ipsa motiva. 2do. Quidquid immediate ex hoc instinctu sequitur, non minus est necessarium atque ipse instinctus. E. obsequium hoc modo ab instinctu independen-

(i) *cf.* Dni Praef. Diss. de ficto hominis sensu morali.



dentia fluens, nullo respectu liberum; sed physice necessarium & cœcum. 3tio. Cœcum autem obsequium, revera nullum est obsequium enteque libero & intelligente, plane indignum. E. &c.

§. 16.

*Obj. 8.* Ita determinandus est hic terminus, uti eum explicant Jcti; ad horum enim disciplinas proprie pertinet, & quacunq; fere pagina occurrit. Hi autem, per obligationem eam tantum necessitatem moralem, quæ ex voluntate superioris oritur, intelligunt, non ad nexum motivorum respicientes. E. &c.

*Resp.* 1mo. Falsum est, omnes Jureconsultos in hoc sensu strictissimo obligationem sumere. 2do. Qui genuinum sensum definitionis in *Corpore Juris* exhibitæ intelligit: numquam sibi persuadebit, notionem Leibnitio-Wolfianam, usui loquendi Jureconsultorum recepto, inimicam esse. Quid enim sibi vult: *Vinculum Juris, quo necessitate adstringimur ad hoc l. illud faciendum?* Num *vinculum* hic aliud significat quam *nexum*, h. e. nexus quidam adest, qui actionem certo modo necessariam efficit. E. Obligatio est nexus, qui oppositum actionis nobis impossibile redditur, l. absolute, l. hypothetice. Non vero absolute; dicitur enim, quod sit obligatio *vinculum Juris*. E. quatenus *ius est morale* quid; morale autem non destruit contingentiam formalem in agendo: claret, *vinculum juris* aliam non significare posse necessitatem, quam *moralem*. Cum propter ea, uti ex antea demonstratis latis superque illucescit, nulla alia detur moralis necessitas, quam quæ ex conditione acquirendi nobis boni, vel evitandi nobis mali, h. e. quæ ex motivis nascitur: plus quam in aprico est, Doctorem Juris, qui ideam obligationis in *Corpore Juris* adhibitam rite intelligit, ex hoc capite Philosopho non contradicere.

§. 17.

Hæc sunt dubia, quæ tot tantosque viros claros ac celebres (quis crederet?), commovere potuerunt, ad innocentem illam Wolfii definitionem improbandam, more sæpius indigno





no despiciendam, planeque rejiciendam. Qui illotis, uti a-  
junt, manibus hanc materiam non tangit, sed veris, quæ sa-  
nior Psychologia & Metaphysica Moralis sternit, imbutus est  
principiis, facilis & æquus certe erit judex, nec ulli dubita-  
mus, quin nostras arripiat partes. Hisce autem principiis de-  
stitutum, & cui flebile illud: *non plus ultra concreta, non ultra  
verba magistri & adnotata, memoriæ quidem, non autem judicio tra-  
dita, usu venit: admonemus, ut vel abstracta & requisita, qui-  
bus adjutus Philosophum intelligit, familiaria sibi reddat, vel a  
dijudicatione rerum huc spectantium abstineat.*

## TANTUM.



1771  
MAY 11  
1771



VD  
18


**ULB Halle** 3  
005 372 003  









B.I.G.

Farbkarte #13

*G. 17. num. 6.*  
*1770*  
*1*

DISSERTATIO MORALIS  
DE  
GENUINA  
GIGATIONIS NOTIONE  
VINDICIAS  
NITIONIS LEIBNITIO-WOLFIANÆ  
SIMUL SISTENS

QUAM  
FRAGANTE AMPLISS. PHILOSOPH. ORDINE  
IN REGIA ACADEMIA GRYPHICA  
AD D. 2 APRIL. A. O. R. MDCCLXX.

SUB PRÆSIDIO  
VIRI AMPLISSIMI  
AN. CHRISTOPH. MUHRBEK  
PHIOS. PRACT. PROF. PUBL. REG. ET ORDIN.

PRO  
SIS IN PHILOSOPHIA OBTINENDIS  
HONORIBUS

PUBLICO EXAMINI MODESTE SUBJICIT  
AURENTIUS EVERS  
CAROLICORONA SUECUS  
IN AUDITORIO MAJORI  
H. A. M. S.

GRYPHISWALDIÆ  
LITTERIS A. F. RÖSE  
REG. ACAD. TYPOGR.

